

2 In demonstratione διόν tria sunt; υποκείμενον, subjectum, πάθος, affectio subjecti, ἀρχή, causa. exempli gratiâ:

- | | | |
|---------------|------------------|--------------|
| 1. Subjectum. | | 2. Affectio. |
| Homo | est | risibilis. |
| | 3. Causa. | |
| | Quia rationalis. | |

3 Demonstratio διόν non solum est universalis, sed etiam particularis.

Hoc idem etiam verum est de demonstratione τ' ο'κ. Universalis est, quæ probat accidens inesse subjecto suo primo, universali, & proprio, sive sit effectum, sive causa. Particularis est, quæ probat accidens inesse subjecto secundo, sive sit effectum, sive causa. Sic v. g. homo est primum subjectum risibilitatis, Socrates verò secundarium: quia convenit homini, quatenus est homo; Socrati verò non quatenus est Socrates, sed quatenus homo. Sic

	{	Animal. Subj. 1.
Sentit	{	Homo. Subj. 2.
	{	Socrates. Subj. 3.

Sentire convenit Socrati, quia est homo; homini, quia est animal; animali verò primò, & quatenus est animal. Sic vicissim uni subjecto tribuuntur multa prædicata: ut,

Homo	{	Loquitur: quatenus homo.
		Sentit: quatenus animal.
		Alitur: quatenus vivens.
		Mensurabilis est: quatenus corpus.
		Per se subsistit: quatenus substantia.

Primum illud videl. τὸ loqui, convenit homini primò, & quatenus talis est, ideoque cum ipso recipitur: & cætera conveniunt ei secundariò, & propter aliud, nec cum homine convertuntur. Hinc igitur demonstratio alia dicitur universalis: ut, omnis justificatus pacem habet cum Deo. Omnis verè credens est justificatus. E. omnis verè credēs pacem habet cum Deo: alia particularis: ut, Quicumq; verè credit, est electus ad vitam æternam. Quidam homo verè credit. Ergò quidam homo est electus ad vitam æternam.